



**Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

A Clemente XI. Ad Benedictum XIII.

**Luxemburgi, MDCCXLI.**

35. Cum sicut Nobis &c. Damnatio & prohibitio librorum sub titulis:  
Doctoris Laurentii Pires Carvalho Quæstiones selectæ de Bulla Cruciatæ  
Lucitanæ & c. Epitome das Indulgentias, e privilegios da ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74859](#)

ANNO  
1707.

CLEMENS UNDECIMUS.

ANNO  
1707.

63

versus aliquem habet, querelam, sicut & Christus donavit Nobis, ut non blasphemetur nomen Domini; sed unanimes honorificemus Deum, & qui una fide jungimur, unitate spiritus, & vinculo pacis invicem copulemur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 14. Octobris MDCCVII. Pontificatus Nostri Anno Septimo.

F. Oliverius.

Publicatio.

Anno à Nativitate D. N. Iesu Christi millesimo septingentesimo septimo, Indictione 15, die vero 8. mensis Octobris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divina Providentia Papa XI. Anno Septimo, supradictæ Literæ Apostolicae affixa, & publicata fuerunt ad valvas Basilicae Principis Apostolorum, Cancellariae Apostolicae, Curia Generalis in Monte Citorio, in Acie Campi Flora, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Josephum Staggium Apostolicum Cursorem.

Pro D. Magistro Cursorum Ludovicus Cappelli Curs.

XXXV.

DAMNATIO

Et prohibitio librorum sub titulis: *Doctoris Laurentii Pires Carvalho Quæstiones selectæ de Bulla Cruciate Lucitanæ &c. Epitome das Indulgências, e Privilegios da Bulla da Santa Cruzada repardido pera major clareza em titulos pellas Indulgências, e diversas facultades, que contem, com algas advertencias no principio; composto por Lourenç Pirez de Carvalho &c.*

CLEMENS PAPA XI.

Ad perp rei memoriam  
etiam

Cum, sicut Nobis innotuit, in lucem prodierint ante aliquot annos duo Libri, unus quidem in duos tomos divisus sub titulo infraascripto, videlicet, *Doctoris Laurentii Pires Carvalho Quæstiones selectæ de Bulla Cruciate Lucitanæ, Pars prior & posterior. Ulyssipona 1698.*; alter vero Lucitanico idiomate editus, cui titulus: *Epitome das Indulgências, e Privilegios da Bulla da Santa Cruzada repardido pera major clareza em titulos pellas Indulgências, e diversas facultades, que contem, com algas advertencias no principio; composto por Lourenç Pirez de Carvalho do Conselho de sua Magestade deputado do Tribunal da Consciencia, e Ordens, e do Conselho dos tres estados, Commissario Geral da Bulla da Santa Cruzada nestes Reinos, e dominios de Portugal. Libro 1696.* Et Venerabiles Fratres nostræ S. R. E. Cardinales in totâ Republicâ Christiana contra Hæreticam pravitatem generales Inquisidores à Sede Apostolica specialiter deputati auditâ librorum hujusmodi censurâ sibi relatâ illos damnandos, & prohibendos esse censerunt. Hinc est, quod Nos pro commissâ Nobis divinitus gregis dominici curâ Animarum periculis, atque detrimentis, quæ ex eorumdem librorum lectione, & usu provenire possent, pastorali solicitudine, quantum cum Domino possumus, occurrere volentes, de memoratotum Cardinalem consilio, ac etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolica potestatis plenitudine, libros supradictos, & eorum quemlibet tenore

præsentium damnamus, & reprobamus, ac legi, & retineri prohibemus, ipsorumque librorum, & eorum cujuslibet impressionem, descriptionem, retentionem, lectionem, & usum omnibus, & singulis Christifidelibus, etiam specifica, & individua mentione, & expressione dignis, sub pena excommunicationis per Contradicentes ipso facto absque alia declaratione incurrandâ, à quâ nemo per quemquam, nisi per Nos, seu Romanum Pontificem pro tempore existenter, præterquam in mortis articulo constitutis, absolvî possit, omnino interdicimus. Volentes, & Apostolica auctoritate precipientes, ut quicunque libros prædictos, vel aliquem eorum penes se habuerint, illos, seu illum, statim atque præsentes literæ ad eorum notitiam pervenerint, teneantur tradere, atque consignare locorum Ordinariis, vel Hæreticam pravitatis Inquisitoribus, qui exemplaria sibi tradita illico flammis aboleri current. In contrarium facientibus non obstantibus quicunque. Ceterum, ut ipsæ præsentes literæ omnibus facilis intonscent, nec quicquam illarum ignorantiam valeat allegare, volumus pariter, & auctoritate prefata decernimus, ut illæ ad valvas Basilicae Principis Apostolorum, ac Cancellariae Apostolicae, nec non Curia generalis in Monte Citorio, & in Acie Campi Flora de Urbe per aliquem ex Cursorum nostris, ut moris est, publicentur, illarumque exempla ibidem affixa relinquantur; Sic vero publicatae omnes, & singulos, quos conceruent, perinde afficiant, & arcent, ac si unicuique illorum personaliter intimata, & notificatae fuissent: utque earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu aliquius Notarii publici subscripsit, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fidès ubique locorum tam in iudicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensa. Datum Roma apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 19. Decembris 1707. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

F. Oliverius.

Anno à Nativitate D. N. Iesu Christi millesimo septingentesimo septimo Indictione 15, die vero vigeſima Decembri, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divina Providentia Papa XI. anno octavo, supradictæ Literæ Apostolicae affixa, & publicata fuerunt ad valvas Basilicae Principis Apostolorum, Cancellariae Apostolicae, Curia Generalis in Monte Citorio, in Acie Campi Flora, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Antonium Platinum Apostolicum Cursorem;

Publicatio.

Nicolaus Vasellus Pro Mag.

DECLARATIO

XXXVI.

Nullitat̄ Electiōnum duorum Administratorum Ecclesiarum Gneſnenis, & Ulađislavienis ab illarum Capitulis, & Canonis per abusum laicalis potestatis ac in præjudicium modernorum Archiepiscopi Gneſneni, & Episcopi Ulađislavieni, reflectivè factarum, necnon quorūcumque inde secutorum, & lectorum, cum illorum damnatione, revocatione, & abolitione, ac cum aliis diversis ordinationibus, & decretis super eadem materiā.

Bullar. Rom. Continuat. Pars II.

F. 2

CLE-